quod translatis militibus in Vienna oppida ex
hac urbe, quae sedes plurimum est, consuluisset
tranquillitati studiorum et Ecclesiae.
Eislebius pessima Vipera est, tam maligne
enim et rabiose in nostros principes pro concio-
nibus et in conuiuijs debacchari scribitur, sed
huiusmodi homines dabunt olim poenas.
Bene vale Reuerende Dne et pater obseruande
22. Septemb: 1546.

E. T.

I. Georg: Maior.

Reuerendissimo in Christo domino, Domino
Nicolao Epo Numburgensi domino suo
summa reuerentia colendo.

S. Scio te execrari odisse Vicinum nostrum, cuius
erga Principem nostrum consanguineum, et
optime de ipso et parentibus ipsius meritum,
tanta est perfidia, Ut ad eam explicandam nulla
Vel Demosthenis Vel Ciceronis sufficiat Elo-
quentia. Nulla iam fides, nulla Iustitia,
Virtus, pietas, et sanctitas nulla videtur,
praeterque in paucissimis esse, in ceteris reliqua,

Ut vere exclamare possis. O tempora, o mores.
Sed haec extrema sunt tempora. Precemur itaque
patrem domini nostri Jesu Christi, ut nos ab his in-
gentibus malis per aduentum filij sui aut liberet
aut illa mitiget, et gratiam et robur nobis conce-
dat, ut patienter ferre possimus.
Misi autem tuae Excellentiae quatuor exemplaria de-
clarationis aduersus Caesarem et Papam, quae
spero tuae Excellentiae esse reddita.
Audio Vicinos grauiter indignari propter illud scriptum,
cuius authorem si haberent, haud dubie uiuum
esse ipsi Imperatori et Papae discerpendum.
Domino Philippo visum est, ut mitteremus pro
pecunia nummos, Ego quod reliquum fuit. 16.
aureos dedi M. Ambrosio, nunc nihil est reliqui.
Mittam autem ad festum Martini aut breuius
rationes, quae de hoc anno adhuc restant. Bene
vale. 15. Octob: 1546.

T. E.

Georgius Maior.

A. G. M.